



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia  
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus  
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas  
Gregorii IX. P. M.**

**Zoesius, Hendrik**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Titulus XV. De Sagittariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

deponendum esse, non etiam esse depositum. Navar. in *Summa* c. 27. nu. 156. Et ut ipso jure possit dici inflexi poena ista, non tamen est proprie poena depositionis, sed potius suspensionis, cum super vera depositione non dispenset Episcopus, cui tamen dispensatio eo casu, non subsecuta deformatione, est permessa, cum Pont. ipse raro in tali casu dispenset. Hoc ita de jure veteri.

Hodie ex decreto Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. *De reform.* propter frequentes caedes detestabilis est indicatus duellorum usus, & generaliter non tantum Clericis, verum etiam laicis inhibitus sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, non tantum per ipsos pugnantes, etiam si nemo occidatur, verum & per consilium dantes, quovis modo suadentes, spectantes, nisi forte ex occulto spectent, cum sint quasi non praesentes & non concurrentes; aut dantes auctoritatem sua praesentia duello, quod alias a partibus sine arbitrio existentibus non committeretur. Item per Principes aliosque Dominos temporales, qui locum ad ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint: qui praeterea jurisdictione & dominio loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, si cum ab Ecclesia obtineant, privantur; si feudalis sit, directo domino statim adquiritur. Denique pugnantes, eorumque patrini, uti vocantur, bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrunr; qui ut homicidae juxta sacros Canones puniri, & si in ipso conspectu decesserint, Ecclesiastica carere sepultura jubentur.

Exceptionem autem dicta patiuntur in pugna suscepta ratione iustae defensionis contra injustum invadentem, qua de re actum sup. Tit. 12. \* Bono etiam publico hoc genus pugnae sub:uotes videntur esse extra culpam, uti cum hoste publico, ad evitandas belli calamitates; tunc enim non est tentato Deum, quod lex divina vetat: nec hostem tollere est homicidii reatum lege vetitum committere, sed officio boni militis fungi. Quo modo certamen Davidis cum Philistaeo approbatum a Deo & auctoritate Martini V. Pont. Carolus Andegavensis & Petrus Tarraconensis controversiam super Regno Siciliae hoc modo sopire decreverunt, quamvis ea res non carcat

temeritate, cum summa rerum unius atque alterius periculo committatur. Navar. c. 11. n. 9. c. 15. n. 9. \* Ubi putat in militibus potest posse duella cum hoste provocante suscipere accedente auctoritate supremi Principis, non tam vanae gloriae causa, quam ad commendandum principali victoriae belli ac repugnanti exercitus, quam non parum promovet. Tit. 15. nu. 27. Valq. *Conir.* c. 49. nu. 17. *Instit. Moral.* p. 3. lib. 2. c. 5. q. 4. Quaeque contigit nuper in Belgio anno 1600. prope Silvam Ducis, ubi viginti milites Cocchardonquii provocati totidem Galliarum servientibus, feliciter pugnaverunt, superad unum omnes profligant, a suis necem quaerere desideratis.

## TITULUS XV.

## De Sagittariis.

**B**alistarum usus in saxis & sagittis sicut olim frequens fuit in bello, quocirca hodie alia tormenta supplere plura inferentia. Horum usum, cum parum communit Christianis moribus, prohibet Innocentius Pont. sub poena excommunicationis, cap. 11.

## TITULUS XVI.

## De Adulteriis &amp; Stupro.

## SUMMARIUM.

1. Adulterium a quo est cum quibus committitur.
2. An cum sponsa aliena?
3. Accusare de adulterio quibus licet, et quod tempus.
4. Adulterium poenis peccatum mortale.
5. Poena adulterii.
6. An fuerit aliquando poena capitalis?
7. Patri filiam in adulterio deprehenfam marito uxorem an occidere licet?
8. Adulter occultus an debitum exigere possit altero adulterii ignaro?
9. Qua causa a poenis adulterii excusetur?
10. Haeres mariti an recte accuset uxorem pro effectu lucranda dote?